

§. 21. *Locus*, in quem beati intro-
mittentur, vulgata phrasi *coelum* voca-
tur, de quo iterum variae reperiuntur
sententiae. Nonnulli enim putant, id creatum de-
mum iri post rerum omnium consummationem,
vocari autem eo nomine totum complexum ex coe-
lo et terra constans, idque, ob analogiam *felicita-
tis, puritatis et sanctitatis*. Nec enim in terra tum
amplius fore locum mutationi, corruptioni, infir-
mitati, sed futuram esse summam sanctitatem et
perfectiorem, ut nunc in coelo est, vel ut eandem
in coelo nobis imaginamur. Alii aiunt, creatum
quidem iri, sed non materiale coelum, verum spi-
rituale, corporibus beatorum spiritualibus confor-
me. Alii dicunt, iam olim creatum id esse, quip-
pe in quod hodieque animae beatae deueniant, et
in quo corpora eorum, qui resurrexerunt, cum
CHRISTO degant. Creatum autem iri dici, quia
tum quasi aperietur omnibus beatis ad usum. Alii
denique contendunt, DEVM ipsum fore beato-
rum coelum, cum omnia sit futurus in omnibus.
Quae controuersiae indignae sunt, ut ventilentur.

*De sede
beatorum.*

§. 22. *Vita*, quam in coelo sunt
acturi beati, *summe perfecta et felicissi-
ma* est. Felicitas haec vel quoad *for-
mam* atque essentiam, vel quoad *acciden-
tia* atque complementum suum specta-
tur. Forma vel essentia beatitudinis futurae, in
visione DEI beatifica consistit, de qua postea. Com-
plementum spectatur in accidentibus, iisque vel
quoad *corpus*. Erunt enim beatorum corpora
eminentissimis qualitatibus praedita, quales supra
recensuimus. Vel quoad *conuersionem*. Erunt

*De statu et
vita bea-
torum feli-
cissima.*